

## XXII.

**E**adem per breviores s<sup>e</sup>pe viam luxuriantis gulæ vitiis per vomitus salubriter occurrit, & in cruditates abeuntia assumta subito expellit, ut inde nascituras noxas averteruncet. Quodsi vero firmior ventriculi tonus in motus talismodi excitari nequit, sed semi cruda semique cocta in adnexa intestina trudit, tunc per diarrhœas Natura errores emendare gestit, quibus materia morbifica, a lœsa ventriculi coctione, in intestinis hærens, aucto motu peristaltico, per repetitas vices eliminatur. Testatur hoc quotidianus rerum usus, veterum modernorumque scriptis approbatus. Ex pluribus Celsi meminisse juvabit, qui libr. 4 Cap. XIX, *Uno, inquit, die fluere alvum, sepe pro valetudine est, dum febris absit, & intra septimum id conquiescat.* Quare sedulo sibi caveat Medicus, ne salutares ejusmodi Naturæ excretiones, quibus quisquiliæ intestinales, antequam massam sanguineam cum chylo intrant, ibidemque varios tumultus exfuscent, improvide turbet vel compescat.

## XXIII.

**Q**uae in superioribus de hæmorrhoidibus adduximus, de aliis quoque, ex variis locis, & præcipue ex naribus subortis sanguinis excretionibus, intelligendum venit. Solet enim Natura in iis, qui lautis epulis & otio plethoram sibi contrahunt, satis opportune largas modicasque, pro re nata, sanguinis profusiones excitare, quando scilicet ipsi vel tanta sanguinis quantitas oneri esse cœpit, ut inde

D

vires